

Io. Georgii Altmanni exercitatio philologico-critica de stella, magorum duce : ad Matth. II: 2

Autor(en): **Altmannus, J. Georgius**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 9

PDF erstellt am: **15.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394618>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JO. GEORGII ALTMANNI
EXERCITATIO
PHILOLOGICO-CRITICA

De
Stella , Magorum Duce.

ad Matth. II: 2

Argumentum.

§. I. De eruditorum quorundam circa Stellam Magorum ineptiis differitur. II. Ignatii sententia, putantis fuisse Stellam præfulgidam, rejicitur. III. Hæc Stella non fuit angelus micans cum magno splendore apparens, ut quidam vellent. IV. Nec fuit globus Igneus Magos præcedens, qui postea in puteum Bethlemiticum fuisset delapsus. V. Multo minus fuit Stella in Cælo, ut somniabat Danæus. VI. Non fuit Cometa, ut quidam fingebant perperam. VII. Non Lux cælestis Judææ imminens, ut Ligtfootus volebat. VIII. Nec Chorus angelorum ut Reinbeccius vellet. IX. Elsneri sententia, qua asseruit stellam hanc a solis Magis fuisse visam recensetur. X. Eadem argumentis refellitur. XI. Fuit fax Cælestis in atmospheræ parte inferiore. XII. Magi quinam fuerint disquiritur. XIII. Quare Deus tantum beneficium Magis exhibuerit, conjectura probabilis affertur. XIV. Ulterius probatur hæc conjectura. XV. Quare Stella Magos primo Hierosolimam, non autem recta via Bethlehemum deduxerit, investigatur. XVI. Cur soli Hierosolyma Bethlehemum abierint, ratio affertur. XVII. De Donis magorum differitur.

§. I.

SI multiplicem laborem Philologorum & Criticorum ad Sacrum Codicem illustrandum spectemus, facile equidem animadvertimus, nos Viris doctissimis grates debere haud vulgares, quod lucubrationibus suis facem accendere voluerint locis plurimis, cum ex reconditarum antiquitatum thesauro id nobis largiti fuere, sine cujus subsidio plurima Scripturae loca mansissent nobis obscura; si vero ex altera parte spectemus, quam multa incerta, vana, dubia & ad sensum oraculorum divinorum exhibendum inutilia cum bonis & utilibus fuerint passim tradita, patitur certe honos & existimatio multorum, qui operam suam ad talia illustranda & perquirenda collocarunt, quae ad lucem producere aut virium humanarum non est, vel quae longa disquisitione neutiquam opus habuissent: Longum foret, si per patentissimum illum campum discurrere, & loca, quibus haec nostra probaretur assertio producere vellemus. Probant hoc plurimae commentationes de stella Magorum scriptae, quae certe ad illam definiendum & determinandum, si paucas admodum exceperis parum conducunt, atque pudet fere dicere, fuisse Viros alioquin ampla satis cognitione imbutos, qui tales orbi de hac Stella obtrudere voluerunt sententias, ut quivis sine profundiori cognitione solo lumine naturali & communi sensu ductus id animadvertere potuerit, secus rem se habere: libere enim provoco ad iudicium uniuscujusque vel modice sapientis, an probabile esse possit Cometam Magis ex Oriente in Palæstinam abeuntibus viam signasse, ita quidem ut caudam per imam atmosphaerae partem traxerit, ut illa
ducti

ducti Viri sanctissimi, quorsum eundum esset, cognoverint. Nec certe magis probabilis est traditio eorum, qui asseruerunt, fuisse stellam in rerum omnium creatione a Deo conditam, sed cursu insolito munitam, & ad id tantum a Creatore ordinatam, ut aliquando Magos ad Christum deduceret. Quot difficultatibus plane inextricabilibus hæc sententia sublit, haud dubie nemo non videt; demisit ideo se hæc Stella ex summo æthere in terram, ut illa Magi ducerentur, imo certe delapsa est ad terram usque dum stabat super domum in qua Salvator natus erat, alias certe, si in alto mansisset distinguere Magi neququam potuissent, in quam domo Vicus Bethlehemitici novus Rex Judæorum quærendus fuisset, hinc certe recte de variis eruditorum in hanc quæstionem commentis dixit *Job. Friedr. Miegius* in egregia de stella Magis conspecta dissertat. quam Tomo II. Thesaur. Philolog. inseruerunt Viri Clarissimi *Haseus* & *Ikenius* p. 118. Verba ejus hæc sunt. *Magorum historia quanto concisius & a solo Matthæo in historia evangelica proponitur, tanta plus licentiæ in ea varie augenda & exornanda curiositas humana sibi sumfit, atque ita per quorundam in definiendo temeritatem, aliorum in recipiendo facilitatem ejusmodi sententiæ & assertiones inter Christianos invaluerunt, ac tantum non vim legis acceperunt.* In his vero sibi consentientem habet *Job. Reinh. Rus*, Harm. Evang. Tom. I. p. 242. Tot vero fabulis, commentis atque vanis opinionibus ut tota historia Nativitatis Christi, ita etiam præsertim hæc Stella inde a plurimis seculis fuit in crustata, ut sanus nemo sine tædio & bile hæc omnia audire possit, ideo porro dicit *Miegius* loco citato: Circa stellam a Magis conspe-

etiam ex generaliiori Matthæi descriptione occasio sumpta fuit, diversarum quæstionum, *sed & simul diversarum sententiarum proponendarum, atque etiam ut solent alii in aliorum verba jurare, obtrudendarum, in quibus tamen non immerito vel soliditatem majorem, vel minorem pronuntiandi securitatem desideres.* Quantum autem & quam diversus sit commentatorum in hanc facem cœlestem numerus, nobis exposuit *Wolfius* Cur. Philolog. Tom. I. p. 29. ad quem lectorem remittimus. Nostrum jam non est omnes prolixius vel exponere vel refutare, vel veterum vel recentiorum sententias, abunde contenti, si potissimas significaverimus, & tandem nostram, ex sensu Scriptoris Evangelici & sanæ rationis suffragio, argumentis quantum fieri potest subnixam exhibuerimus.

§. II.

Variâ jam quondam erant Patrum de hac Stella commenta. *Ignatius*, Pater Apostolicus, hanc Stellam tanti fulgoris fuisse existimat, ut Lux ejus fuerit ineffabilis, ita enim ille Epist. ad Ephes. c. 19. p. 33. edit. Basil. Ἀστὴρ ἐν ἔρανῳ ἔλαμψεν, ὑπὲρ πάντας τὰς ἀστέρας, καὶ τὸ φῶς ἀνεκλάλητον ἦν, καὶ ξενισμὸν παρεῖχεν ἢ καινότης αὐτῆ. Τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἀστρα ἅμα ἡλίῳ καὶ σελήνῃ χορὸς ἐγενετο τῷ ἀστρὶ, αὐτὸς δὲ ἦν ὑπερβαλὼν τὸ φῶς αὐτῆ ὑπὲρ πάντα. *Stella in cœlo fulsit, splendore exsuperans omnes Stellas, & Lux illius ineffabilis erat, & stuporem incussit novitas, omnia autem reliqua Astra, una cum Sole & Luna chorus fuere Stellæ, ipsa vero Lumen suum extendebat super omnia;* Stellam hanc extraordinariam fuisse, inter commentatores qui saniores sunt hactenus nemo dubitavit, an autem fuerit Stella tantum
jubar

jubar secum ferens, universum cœlum illuminans, Stellarum aliarum chorum secum ducens, ego equidem cum multis aliis vehementer dubito, atque certe hac in re sentio cum Rev. *Jacobo Elsnero* qui in sua, de Stella Magis visa, commentatione, quam *Symbolis Literar.* Tom. I. Sect. 2. pag. 42. inseruit. Celeberr. *Conr. Ikenius*, ita sentit §. VIII: *Si Stella Magis Bethlehemum abeuntibus, tanta in patentissimo cœlo aparuisset, universa haud dubie vicinitas inaudito & insolentissimo lumine sedibus suis excita incredibili tumultu ad casam illam accurrisset, &c.* Sed danda est hæc hyperbole Viro pietate & amore Servatoris sui abrepto, quo magnificentissima verba conquisivit ad gloriam recens nati Regis Judæorum & Sospitatoris totius terrarum orbis graphice depingendam.

§. III.

Aliam vero de Magorum Stella assumserunt Patrum nonnulli sententiam, asserentes, Angelum insigni fulgore corruscantem Stellæ figuram præ se tulisse, ita enim *Cæsarius Quæst.* 45. Ἀστὴρ μὲν φαινόμενος ἄγγελος δὲ νοούμενος ἐθνῶν ὁδηγός. *Vi-
debatur quidem Stella gentilium Dux, sed erat Ange-
lus.* Plura testimonia Patrum in idem abeuntia collegit *Suicerus* Thesaur. Eccles. Tom. I. p. 559. quæ jam describere nolumus. Hanc autem sententiam, nullo plane fundamento nixam, suo loco relinquimus: notum equidem Deum Angelorum ministerio sæpissime usum esse, & eo præsertim tempore, quo Servator Orbis, humana carne indutus, se populo suo volebat conspicendum dare, nihilominus tamen vix credibile est, angelum ab eo missum, ut Stellæ alicujus vicem

præberet, cum videamus angelos, quoties comparuerunt, in mandatis quædam habuisse, quæ hominibus significarent: Constat equidem ex historia evangelica Angelos ex Cælo in Nativitate Christi fuisse præsentés, hymnos Cœlestes cantantes, sed eos rutilantem formam habuisse nusquam legimus. Alias insuper rationes, huic sententiæ repugnantes, nunc brevitatis causa omittimus.

§. IV.

Placuit posterioribus Seculis monasticis novam de hac Stella fabulam cudere, elegantem certe & lepidam, dignamque novis annalibus, narratur ea a *Gregorio Thuronensi* monacho, qui diem obiit supremum anno Christi 595. vel secundum quosdam anno 600. Hic, quo magistro incertum, Gallis suis fabellam tradere non erubuit, dicens, comparuisse Stellam aliquam, perlucidam equidem, sed stabili spissoque corpore munitam, quæ Magis viam monstraverit, cum autem in ædibus, in quibus Christus natus esset, advenisset, delapsam esse illam in puteum Bethlehemiticum, in quo adhuc videatur ab omnibus, qui integram & illibatam habeant virginitatem. Ita solebant somniis & commentis Monachi homines pascere eo tempore, quo Clericorum auctoritas conscientias hominum constringere, & bonas literas ex scholis eliminare consueverat.

§. V.

Commodiorem ad hæc explicanda viam sibi invenisse videbatur *Lambertus Danæus*, qui statuit, fuisse Stellam primitus quidem a Deo cum reliquis in creatione productam, sed cursu insolito munitam,

nitam , quo Magorum in se oculos converterit. Hanc equidem sententiam variis rationibus Vir doctus ita exornavit , ut quosdam eo permoverit , ut ei accederent , sed tot tantisque , si probe hæc hypothesis examinetur , laborat difficultatibus , ut ei manus dare neutiquam possimus. Qui Viri doctissimi sententiam prolixius descriptam petit , legat ejus *Commentar. in Matth. ad h. l.*

§. VI.

Certiozem sententiam , quæ omnibus se probaret , excogitarunt Viri quidam docti , qui hanc Stellam Cometam faciunt , eumque tam insigniter vel caudatum vel barbatum , ut radiis non viam modo , qua Magis eundum esset , sed etiam domum , in qua Dominus noster natus esset , significaverit , & cum apud veteres Cometæ non malorum tantum & calamitatum , sed etiam temporum felicium novorumque Imperiorum essent prænuntii , rationes haud contemptibiles pro hac sua sententia habebant Viri docti eo tempore , quo vetus & in vulgus recepta de omnibus Cometarum opinio suam habebat auctoritatem , postquam autem a novis Philosophis probatum est , Cometas esse corpora cœlestia , certo tempore , licet illud forsam tam exacte determinari nondum potuerit , recurrentia , evanuit etiam hæc opinio , quæ multis tam egregia & splendida videbatur. Si autem hanc sententiam secundum leges corporum cœlestium , Cometarum imprimis examinemus , eam tot difficultatibus laborantem animadvertimus , ut illa certe non magis videatur probabilis quam ea , quæ statuit hanc Stellam in puteum Bethlehemicum fuisse delapsam , eam ergo ut instabilem & nullo

nullo argumentorum pondere nixam rejicimus, & cum difficultates, in ea occurrentes, omnibus iis, qui Physicam cœlestem supremis tantum labiis degustarunt, pateant, nos etiam in iis recensendis supersedemus. Fuit nostro tempore Vir doctus, *Johannes Heynius*, Scholæ Aldricensis in Comitatu Brandenburgico Rector, qui edito Berolini anno 1742. de *Cometis* libro pertinaciter defendit, Stellam Magis visam, Cometam fuisse; pertinet hæc assertio ad alia dogmata plane in Ecclesia nostra hætenus nec audita nec cognita, quæ novissime Heynius publice defendit; verum quam absurda, quam inepta & ab omni ratione remota sit hæc sententia, mox postea ostendit Vir eruditiss. *Christianus Theophilus Semlerus* peculiari libello de *Stella Magorum* lingua Germ. edito Halæ 1743. Defendit equidem *Heynius* receptum primo Systema de Cometa Magos Hierosolymam deducente in Epistola ad *Semlerum*, quæ etiam prodiit Berolini anno 1743: Verum evenit Heynio quod sæpius accidere solet doctis sententiam suam adversus oppositæ suas defendentibus, cum tanta acedine & bile adversus *Semlerum* hoc scriptum sit refertum, ut nec ratio nec argumenta pro sua sententia semel recepta locum invenire in illa potuerint, ita mos est quibusdam honestatem & modestiam, ad quam nos bonæ literæ deberent deducere, ex nimio sui amore, plane abjicere & posthabere; quodnam autem sit Virorum vere eruditorum de ejusmodi acerbis litigationibus judicium, illi norunt, qui literas addiscunt ut non doctiores tantum, sed & humaniores & meliores redantur. Plura de his cl. auctor *der Nachrichten von theologischen Büchern* Tom. II. p. 314. & Tom.

Tom. eod. p. 791. &c. Ut autem hic communis doctorum plurimorum error est, ut quem semel admiserunt lapsum pertinaciter defendant, ita etiam Heynio venisse videmus, qui in peculiari libello, cui nomen præposuit *Epistolæ de Cometis* lingua germ. 1745 edito, quam conceperat, opinionem adversus plurimos Viros doctos de novo defendit, hac tamen restrictione, quod iste Cometa caudam non habuerit.

§. VII.

Nec omittenda hoc loco sententia Joannis Lightfooti, cujus verba in Hor. Hebr. ad h. l. hæc sunt. *Lux illa cœlestis, quæ ipsa nocte nativitatis salutiferæ pastores Bethlemiticos circumfudit, Magis hisce longe inde semotis forsan est visa Stellæ instar, Judææ impendentis, unde facilius eis esset conjectari, omen ad Judæos pertinere.* Facile equidem damus Viro Celebrissimo atque eruditissimo, Stellam illam non Stellam cœlestem nec ordinariam nec extraordinariam, sed lucem vel facem in libero aëre comparentem fuisse, quod autem Magi ex situ Stellæ conjicere potuerint, imminere eam terræ Judæorum, atque illam esse felicissimum genti Israeliticæ signum & rerum felicissimarum prognosticon, nos equidem vehementer dubitamus, & exinde hanc Viri vere magni conjecturam nostram facere nolumus. Multis etiam argumentis probarunt plurimi Viri docti, quod revelatione extraordinaria opus fuerit ad Magos certos reddendos, quæ esset significatio novi luminis cœlestis, ut hæc recte asseruit & probavit Clariss. Christoph. Sigism. Georgius in Appar. Philolog. Theol. ad Evangelia p. 319. ut & Vis de Republ. Literaria optime meritis Christoph. Aug.

Aug. Heumannus Programmat. de *Stella Magis prælucente*. Pœcil. Tom. II. p. 128. ubi plurima egregie de hac *Stella* afferuntur.

§. VIII.

Aliam adhuc de hac *Stella* commentationem nobis dedit Celeberr. *Job. Gustav Reinbeck* in præfat. ad *Commentaria Exegetica Starkii*, qua ponit chorum Angelorum cœlestium comparuisse *Magis*, eosque tali situ in ætherea regione aparuisse, ut *Magi* aspicientes non fulgorem tantum Angelorum tanquam Stellarum viderint, sed quod & chorus ille Angelorum ita constitutus fuerit, ut hæc verba simul repræsentarent, *REX JUDÆORUM*, atque hoc portento motos fuisse *Magos*, ut non tantum crederent recens natum esse Regem *Judæorum*, sed etiam iter facientes investigarent, ubi nam loci inveniri posset, cumque in *Judæam* devenissent, de novo chorum illum Angelorum has voces suo ordine fulgido exhibentem, in æthere fuisse visum. Hanc tamen sententiam *Vir* doctissimus, pro sua qua erat modestia, ut sibi privam proponit, eamque vel recipiendam vel rejiciendam relinquit.

§. IX.

Novam tandem & a nemine hactenus propositam de hac *Stella* explicationem proposuit *Rev.* atque *Cl. Jacobus Elsnerus* in *Symbolis Literar.* Tom. I. parte 2. pag. 45. verba ejus hæc sunt: *Lumen illud cœleste a solis Magis conspectum esse existimo, divina ἀποκαλύψει fruientibus, atque adeo non fuisse Stellam aliquam in cœlo terrarum orbi expositam, aut phænomenon oculis quibuscunque patens, sed lumen solis Ma-*
gis

gis conspicuum, sive illud revera extra illos constitutum, sive in mente duntaxat eorum & imaginatione depictum & representatum fuerit. Atque hanc suam sententiam tantis Vir doctiss. firmat rationibus, quantis ea equidem firmari potuit, atque potissimas rationes, quare credat hanc Stellam, aut in mente Magorum tantum existentem, aut saltem a nemine quam ab illis visam fuisse sequentes affert.

I. Quia si Stella in patente cœlo visa esset, illa annalibus atque monumentis etiam fuisset commendata, cum autem altum sit auctorum de hoc phœnomeno silentium, neminem præter Magos illam conspexisse esse probabile.

II. Quod si illa Stella in Oriente omnium oculis patuisset, fieri aliter non potuisse, quin plures insolenti hoc spectaculo suscitati ad itineris societatem se contulissent, quod autem cum factum non fuerit, & pauci tantum Magi Hierosolymam demigraverint, colligit Vir Cl. quod Magis tantum apparuerit.

III. Ulterius insto, inquit Vir doctiss. si Stella in cœlo extitit, omnium mortalium oculis conspicua, quare eam Magi Hierosolymis non viderunt, ut eo sidere Herodi & Judæis pateret cœlestem hanc esse apparitionem, quæ in Oriente jam visa ad illud usque tempus duraverit, Messiaëque adventum denotaverit.

IV. Denique, inquit *Elsnerus*, si Stella Magis Bethlehemum euntibus in patentissimo cœlo occurrisset, omnium oculis usurpanda, ita ut se ad infimam aëris regionem demisisset, ut lucidissimo indicio domunculam aut casam nati Christi designaret, universa sine dubio vicinitas inaudito illo & insolentissimo lumine domum lambente, sedi-
bus

bus suis excita incredibili tumultu ad eandem domum concurrisset, a Magis præsertim monita, cœlesti hoc ostento natum Regem gentis Judaicæ portendi & significari, quem ipsi ex ultimis terrarum orbis locis advenæ adoratum venirent.

§. X.

Habemus hic in compendio cum argumentis suis propositam Viri Cl. sententiam, cui autem cur non subscribamus sequentes nos rationes movent, & ad primum quidem argumentum notandum, quod ex auctorum silentio nullum validum peti possit argumentum, nusquam enim ex gr. memoratur, si locum aliquem *Macrobi* excipiamus, de infanticidio Bethlehemitico, altum enim apud Josephum aliosque Scriptores Historicos silentium, & quæ solus *Macrobius* habet, Saturnal. Lib. II. 4. reliqui omittunt. Quod ad secundum argumentum spectat, illud magni ponderis haud esse videtur, non enim sequitur, quod si fax vel ignis quidam Magis, in contemplatione Astrorum de nocte occupatis, comparuit, quod inde plurimi homines eodem tempore illum fulgorem viderint, vel si vidissent, sed ejus significationem ignorassent, se viæ dederint, visuri, quo eos hæc Stella deduceret. Ad tertium argumentum notandum, quod non necesse fuerit hanc Stellam ab eo tempore, quo Magis primitus fuerat visa; continuo & sine splendoris intermissione lucere, sufficiebat enim Stella duce Magos ex Oriente primum Hierosolymam, & deinde Hierosolyma Bethlehemum fuisse quasi filo Ariadnæo ductos, an autem inde ex Oriente Hierosolymam usque semper fulserit, nos ignorare candide profiteamur, cum
incer.

incertum sit an Magis, de nocte dormientibus, aut in aliquo loco consistentibus fuerit conspecta. Quartum tandem Viri doctissimi argumentum nos non magis movet quam præcedentia, si enim ponamus, Stellam fuisse lucem vel facem aliquam non ita ingentem & fulgidam, ut plurimi interpretes putant, sed modicam tantum, & viam lucis vel facis alicujus ad modum signantem, omne pondus verborum *Cl. Elsneri* statim evanescet: imo colligendum est ex historia Evangelica, fulgorem illius Stellæ tantum non fuisse, quantum magna pars interpretum vulgo fingit, quia alias haud dubie, ut recte asserit Vir doctus, omnis vicinitas ad tantum spectaculum confluxura fuisset, atque istæ sunt brevissimis verbis conceptæ difficultates, quæ in nova hac assertione occurrunt.

§. XI.

Exposuimus hæcenus tantâ, quanta fieri potuit brevitate diversorum Interpretum de Stella Magis visa sententias, restat nunc ut nostram adjiciamus, non omni ex parte novam, sed novis quibusdam rationibus, ut speramus, suffultam, ut lector exinde colligere possit, quænam ex omnibus potiora secum ferat vel veritatis vel saltem probabilitatis pondera, ingenue enim fatemur, quod hac in re ulterius progredi nemo possit, quam ad majorem vel minorem probabilitatis gradum: hinc dicimus, Stellam illam fuisse nihil aliud, quam facem aut lumen aliquod in parte inferiori atmospheræ Magis visum, cujus sententiæ evidentiam nobis sequentia aperiunt.

§. XII.

Magi haud dubie ex Persia advenerunt, ibi enim sedes Magorum, erantque apud illam gentem homines maximæ dignitatis, Theologiæ & Philosophiæ Doctores & Magistri, ut nos docet *Porphyr.* Περὶ ἀποχῆς ἐμψυχ. IV. 16. Παρὰ γὰρ μὲν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τέττα θεραποντες, μάγοι μὲν προσαγορεύονται, τῆτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχωριον διάλεκτον ὁ μάγος. *Apud Persas sane rerum divinarum sapientes & numinis ministri Magi appellantur, id enim Magus lingua Persica significat.* Et similiter *Suidas* in voce μαγος Tom. II. pag. 480. edit *Kuster.* μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόθεοι. *Magi apud Persas sunt Philosophi & Theologi.* Multis vero argumentis Magos ex Persia advenisse jam dudum probavit *Christoph. Cellarius* *Dissert. Academicar. X. p. 631.* ad quem lectorem ablegamus. Quantæ vero fuerint dignitatis varii Scriptores nos docent, quæ omnia si hoc loco vellemus describere, volumen exarandum foret integrum; verbo ideo dicendum, quod fuerint Sacrorum antistites, Regum Consilarii & moderatores, divinæ humanæque sapientiæ publici doctores, hinc etiam *Cicero* *Divinat. I: 23.* *Magi genus sapientum & doctorum apud Persas.* Plura qui petit consulat *Raderum & Cellarium* ad *Curt. Lib. III. cap. 3.* *Menagium* in not. ad *Diog. Laert. Lib. I. cap. 1. p. 3.* & ante omnes alios harum rerum perpetuum promum condum *Barn. Brissonium* de *Regio Persarum principatu Lib. II. p. m. 381. &c.* Ex his breviter allegatis concludimus, istos Magos fuisse viros, munere, honore, sapientia & dignitate illustres, quos Deus præ aliis selegit, ut Filium Dei, Servatorem Orbis, in primis
statim

statim natalibus viderent, & divina Revelatione ad fidem Redemptoris generis humani adducerentur.

§. XIII.

Si jam inquiramus, quæ forsan fuerit ratio, quare Deo placuerit hos viros, in diffitis terræ oris habitantes, longoque intervallo a Judæa diffitos, præ aliis ad cœleste hoc spectaculum, dato divinitus signo advocare, plurima se menti nostræ offerunt, quæ rationes præbent, quare Persarum Magi potius quam alii ad Christum videndum & adorandum fuerint, face cœlitus missa, quasi manu ducti. Ante omnia ideo dicam me esse persuasissimum, mansisse apud Persarum Magos plurimas reliquias & vestigia historiæ patriarcharum, qua inducti in plurimis saniolem Dei cultum habebant quam aliæ gentes idololatricæ, hinc certe Deum puriori mente quam Græci vel aliæ gentes colebant, magnopere enim omnes imagines Divinitatem aliquam repræsentantes averfabantur, ut id nos docet *Strabo Lib. XV.* Πέσαι τοίνον ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς ἐχ ἰδρουνται. *Persæ nec statuas nec altaria erigunt.* Atque hujus Persarum consuetudinis testimonium exhibuit *Herodotus Lib. I.* Quare vero Persæ omnes Deorum imagines rejecerint, nobis declarat *Diog. Laert. Lib. I. Segm. 6. p. m. 5.* dicens, quod Persarum natio hanc fidem a Magis acceperit, nulla forma Deos effingendos esse dicentibus: colebant autem ignem, & in militiam proficiscentes, eum argenteis præferabant altaribus, cujus rei fidem nobis facit *Curcius Lib. III. cap. 3.* Ordo autem agminis Persici erat talis, ignis, quem ipsi sacrum & æternum vocant, argenteis altaribus præferabatur, Magi proximi Patrium

carmen canebant. Et Ammian. Marcellin. Lib. XXIII. de Magis loquens dicit, ferunt etiam, si justum est credi, ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis focus custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt. Omnia hæc nos dubitare non sinunt, quod iste ignis cultus & argenteis altaribus exercitui prælatus, peti debeat ex traditione a Judæis accepta, & columna nubis & ignis, populo per deserta erranti, a Deo in perpetuum præsentia suæ testimonium data, & quæ priscis Asiæ Regibus adscribere, haud dubie de Mose & primoribus gentis Judaicæ in deserto recte repetuntur: cum ergo obscura & incerta remanerent Magis veritatis vestigia & testimonia, Deus immensa sua bonitate ductus, face cœlesti hos viros ad veritatis viam voluit reducere, & ad videndum æternum fulgorem Solis justitiæ in Judæam advocare. Quid ergo impedit, quominus dicamus, Deo placuisse eodem propemodum modo deducere Magos in Palæstinam, quo quondam populum suum per deserta errantem tandem in terram patribus promissam introduxit. Ex his jam facile quilibet colliget, quæ nostra sit de Stella Magorum sententia, cum omnia suadeant, subito visam fuisse Magis, in astrorum contemplatione occupatis, facem aliquam cœlestem, non in æthere, sed in infima atmospheræ parte constitutam, & oculis eorum sese offerentem. Apparitionem Stellæ plane hoc modo a nobis descripto jam conceperat Christophorus Pelargus commentar. ad Matth. p. 34. Hæc Stella ait Magos direxit in toto itinere, quiescentibus Magis ipsa etiam quievit, moventibus ipsa quoque mota fuit, & quidem in partem inferiorem aëris descendens. Verba eisdem

μεν γὰρ αὐτῆ τὸν ἀστὴρα ἐν τῇ ἀνατολῇ , non ver-
tenda videntur , *vidimus enim Stellam ejus in Oriente* ,
sed convenientius , *vidimus enim Stellam ejus in ortu*
suo , atque hanc versionem suadet versus præce-
dens , ubi jam dicitur , ἰδοὺ Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν
παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα , *ecce Magi ab oriente ad-*
venerunt Hierosolymam. Nec certe opus est tautolo-
giam , vel supervacaneam affingere Scriptoribus
sacris repetitionem , ubi commodior & prior
se sensus offert : hæc vero Evangelistæ verba ita
vertenda esse , jam vidit & probavit doctiss. *Geor-*
gius Raphaelius Annotat. Philolog. in N. T. ex Polyb.
& Arrian. p. 9. qui videatur quibus lubet.

§. XIV.

Dicimus ergo , cum Magi jam aliquam habue-
rint , licet obscuram hæctenus , veritatis ideam ,
cum solo lumine naturæ ducti deviis se extrica-
re & ab erroribus , quibus adhuc mens eorum fue-
rat obvoluta , liberare non potuerint , placuisse
Deo exiguo lumini , & veritatem quærentibus ,
majorem addere fulgorem , atque ideo hos & non
alios fuisse electos , ad Christum videndum , & in
carne adorandum. Afferimus porro , factum id
esse a Deo , occasione cultus ignis , quem proavi
eorum ex columna nubis & ignis arripuerant , &
arreptum ad ea usque tempora servaverant , quæ
omnia eo ducunt , ut nobis firmiter persuadea-
mus , Stellam illam aliud nihil fuisse quam facem
in aëre libero comparentem , & sexaginta præter-
propter cubitorum altitudinem non superantem ,
quod si enim in æthere vel altissima tantum ath-
mospheræ parte extitisset , viam Magis tam exa-
cte certe signare non potuisset : hinc nostro judi-

cio absurdæ & ineptæ sunt sententiæ eorum, qui hanc Stellam in alta ætheris parte constitutam sibi imaginantur, & extra omnem veritatis speciem fingunt. Multa etiam ludunt & hariolantur interpretes, quo pacto, quaque ratione Magi, hanc lucem videntes, cognoscere potuerint, eam natum Servatorem generis humani portendere: Ad Zoroastris aliorumque oracula quidam, licet certe nullo fundamento nixi, decurrunt; nos ideo asserimus, Magos equidem facile divinare potuisse faciem illam esse extraordinariam, cujus rationem & causam in cognitione rerum physicarum frustra quæsiuissent, revelationem ideo Divinam sive per somnium sive per aliam viam accessisse immediatam, qua certi reddebantur, quis esset usus & ratio Stellæ hujus extraordinariæ, ad viam in Judæam faciendam datæ. Placuit ergo Deo mittere Stellam Ducem Magos in itinere sospitantem, viamque, qua tuto eundem esset monstrantem, & simul revelatione, cujus modum nos determinare non valemus, eos certos reddere, natum esse Salvatorem omnium credentium, quem certo inventuri essent, si absque hæsitatione se viæ darent, stellamque præeuntem sequerentur: quo vero tempore Magi Bethlehemum advenerint, an ipso tempore, quo natus erat, an postea, res est majoris indaginis, & quæ, quantum videtur, a Viris doctis tam exacte hæcenus definiri non potuit, sufficit nobis scire advenisse hos Viros, a Deo insigniter dilectos, eosque nobis primitias instantis vocationis gentium certo exhibuisse.

§. XV.

Læti ideo se itineri accingunt Magi, de tanta gratia & favore summi Numinis sibi impense gratulan-

tulantes, felici cursu Hierosolymam deferuntur, Herodem, qui se Judæum profitebatur, adeunt, haud dubie existimantes, rem tam illustrem Herodi jam esse cognitam, quam ipsi, diffusa terræ loca incolentes, divino oraculo moniti didicissent. Notandum & hoc, quod Magi crediderint, Regem Judæorum se Hierosolymis inventuros, ea potissimum ratione inducti, quod Stella, quam viderant hactenus, illis disparuerat. Turbabatur Herodes, audiens natum esse Regem Judæorum, cum sibi, ut tota reliqua gens Judaica, Conceptum de nascendo magno Rege Judæam occupaturo fecisset. Turbabatur & anxia erat tota civitas, gaudium cum mœrore & perturbatione miscens, quia gens jam calamitatibus agitata, præsentem ferre miseriam malebat, quam novas mutationes subire, cum Messias, ex sensu eorum, regnum Romanis atque Herodi sine bello & multa sanguinis profusione eripere posse non videretur: adde & hoc, quod Herodes Vir potens & crudelis, qui magna valebat apud Romanos gratia, jam magnam Judæorum partem sibi habuerit ita additam, qui ægre tulissent mutari præsentem rerum statum, qui in melius non nisi cum discrimine mutari potuisset, & quæ spes erat Regem in abjecto & contemptili loco, ut erat vicus Bethlehemiticus, natum, in melius mutaturum fortunam Judæorum. Atque secundum ineptam hanc & plane carnalem de Messia sententiam, locupletiores sibi persuadebant, quod non aliter quam Judæorum opibus nixus novus Rex solium regium adversus Herodem & Romanos defensurus esset; Pharisei vero & Scribæ adventum justissimi & sapientissimi Regis haud dubie valde pertimescebant, timen-

tes , ne pietatis & sanctitatis larvam , qua hactenus totam urbem & regionem deceperunt , a facie avelleret. Magna Judæorum Hierosolymis habitantium copia de Nativitate Messiaë haud parum erat sollicita , ne adveniente Messiaë Judæi ex omnibus mundi partibus concurrentes , habitationis locum & incommodum & molestum Civibus Hierosolymitanis efficerent. Populus autem abjectus & pauper , qui in summis tenebris & ignorantia vivebat , sequebatur consilium primorum , nesciens quænam eximia essent de Messiaë , ejus persona , munere & dignitate Oracula. Atque hic mihi sensus esse videtur verborum Evangelistæ dicentis , *Et perturbatus erat Herodes & tota Hierosolyma cum eo.*

§. XVI.

Sciscitantibus Magis , ubinam natus esset Rex Judæorum , quem jam frustra Hierosolymis quæsiverant ? Respondetur , locum natalem ex oraculorum divinorum edicto esse Bethlehemum. Iterum se itineri læti accingunt , atque haud dubie non sine singulari numine & providentia factum , quod nemo nec ex aula Herodis , nec ex proceribus Judæorum se cum illis viæ dederit , factum autem id , tum ex incuria & oscitantia Judæorum , tum etiam quia periculosum videbatur novum Regem Judæorum , Herode vivente , salutare & adire : infatuatus Herodes Magos solos dimittit , sibi inepte blandiens , Magos , auctoritate tanti Principis motos , brevi redituros , quod sequenti die fieri potuisset , cum vicus Bethlehemiticus non nisi duabus horis Hierosolyma distaret , cujus rei fidem nobis facit *Relandus Palæst. p. 424.* cujus verba hæc sunt. *A Bethlehem Hierosolymas sex miliaria*

liaria Romana sunt, id tum ex itinerario veteri Hierosolymitano, tum ex aliis liquet, & his ipsis diebus, quum iter eo dirigeretur, duarum horarum itineris intervallum esse dicitur inter Bethlehem & Hierosolymas, quod par est pro ratione itinerum, in Palæstina confici solitorum, sex miliaria passuum, sive sex miliaribus Romanis. Urbe Hierosolymorum egressis Magis Stella iterum apparet, ex quo videmus, quod non Stella fuerit imaginaria tantum, ut opinatur Cl. Elsnerus, alias Stellæ imago haud dubie phantasie perpetuo insedisset, sed eam quoque aliis hominibus fuisse conspicuam, etiam ex hoc colligimus. Nolebat Deus ob rationes sanctissimas, ut impia gens alio modo quam Magorum monitu, qui Judæis, de adventu Messie persuasis, sufficere debuisset, certa redderetur, jam tempus advenisse, quo Messias natus esset. Dicit forsan aliquis, nova Stellæ comparitione jam equidem opus non fuisse, quia sine hoc duce vicum duabus tantum horis distantem sine periculo erroris invenire facile potuissent. Sed respondendum, placuisse Deo, Magis ex urbe digressis, novo præsentie suæ & tutelæ testimonio significare, natum esse Regem Judæorum in contemptibili & despiciato vico, qui pauperiorum & hominum despicatorum erat habitaculum, cum forsan dictum illis fuerat Hierosolymis, Bethlehemum esse pagum tam exilem, ut sine divino monitu sibi vix persuadere potuissent, tantum Regem natales habiturum in loco ab hominibus, tenuissima tantum fortuna gaudentibus, habitato, & cum Deus non vicum tantum, sed & domum, in qua natus erat Christus, Magis præsentissimo testimonio denotare voluerit, necessum erat, eos eadem face cœlesti deduci us-

que dum quæsitum illum cœlestem regem , in ab-
jecto pauperis pastoris tugurio vagientem , inve-
nissent.

§. XVII.

Bethlehemum tandem deveniunt Magi , in ver-
tice tugurii , in quo natus erat Salvator , consistit
stella , manifesto testimonio , abjectam casulam in-
gentem illum regem concludere , quem fax cœ-
lestis in oriente jam significasset : mirantur pue-
rum quem vident , secum ingeminantes , *haud tibi
vultus mortalis , Deus certe!* Procumbunt læti & stu-
pefacti , quod satis nobis certum facit Scriptor sa-
cer Matthæus cap. 2 : II. *προσκύοντες προσέκυνον*
αὐτῷ , *Procidentes adorant eum* , pro Deo ideo ag-
noscent & divino cultu prosequuntur infantulum ,
futura ingentis imperii cœli terræque auguria fe-
rentes : ut vocem *προσκυβεῖν* explicat ex veterum
Scriptorum auctoritate *Lamb. Bos* , Exercitat Phi-
lologic. in N. T. p. I. Gazam aperiunt , dona of-
ferunt , aurum , thus & myrrham . Nescio quam
apte quidam ex hoc triplici donorum genere ve-
lint mysteria exsculpere , faciebant hoc Magi , quia
ex more Persarum nemo solebat regem convenire ,
nisi aliquo dono munitus accederet , testis est *Seneca*
*Epist. 17. Reges Parthos non potest quispiam salutare
nisi cum munere* : quem locum *Lipsius* recte cum hac
historia Evangelica comparat , & quam familiaris
fuerit hæc veterum consuetudo nos docet *Symma-
chus* Lib. X. 28. *Epistola ad Valent. Theod. & Ar-
cadium. Sumite ergo defensores publicæ salutis solemniter
auro ducta munuscula , non quia divitis metalli bo-
nore gaudetis , sed ut nostra devotio felicitis seculi testetur
opulentiam.* Offerebant autem talia , qualia mos
erat

erat ex longinquo venientibus offerre, ea nimirum, quæ terra illorum proferebat, qualia exempla habemus in Sacra Scriptura. Aurum Christo oblatum fuisse ut Regi, facile largimur, sed voluit haud dubie Divina providentia, ut viri isti honorati aurum Servatori offerrent, ut haberet Josephus & Maria, quo, imminente jam in Ægyptum fuga, facultas adesset ad sumtus itineris cum infantulo sine egestate & ærumna faciendos, prospexit itaque Pater filio, atque matri egenti aurum ex Persia subministravit, quo se pararet itineri, & tantum adhuc superesset, quo tuto se viæ darent, & sine inopia, quæ erant necessaria in via sibi compararent. Sunt qui ex myrrha & thure munus Christi propheticum & sacerdotale exsculpunt, quam feliciter id fiat, hæcenus non video atque suspendendum nobis ait iudicium, usque dum certo constet quænam myrrhæ Persicæ fuerit species & quis usus, nostra enim myrrha, qua in regionibus Europæis utimur, certe Persica non est. Hac autem in re quilibet suo abundet sensu, hæc vero de Stella Magorum duce breviter dicta sufficient, ideoque in hoc Catone subsistendum esse arbitramur; legentibus satis, non legentibus, ut nostra ferunt tempora, nimium.

T A N T U M.

NOMO-